



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio V. De Postulatione concurrente cum Electione ad  
Archiepiscopatum Coloniensem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

fama & vox populi, nec à parentibus vel aliis aliud audiverint, talis consuetudo habetur pro notoria, nec opus est ulla alia probatione, vel adductione actuum in specie. Klock. *Conf. 79. n. 43. vol. 4.* sed in præfenti casu 35. testes deposuerunt, communem esse vocem ac famam in hoc Episcopatu, quòd etiam collaterales admittantur ad succedendum in feudo, nec à Majoribus se aliud audivisse: ergo. Accedit, quod adducti testes fuerint feudorum periti, uti Doctores, Consiliarii &c. quo casu consuetudinem probari absque omni mentione actuum in specie testatur Bart. in l. de quibus ff. de LL. n. 23. cujus opinionem communi calculo approbatam esse ait Decian. *vol. 2. responso 51. n. 82. 83. 85. & Curt. lo. cit. n. 615. 618.*

Ad VII. Ad nullam aliam consuetudinem probandam requiruntur actus per sententiam in Judicio contradictorio confirmati, nisi ad eam, quæ habetur per similiter judicata l. 38. ff. de LL. nostra autem, de qua agitur, est introducta per usum communitatis, actusque frequentatos, ad quam sufficit, si tacito communitatis consensu sit confirmata, de qua loquitur l. 35. 36. 37. ff. eod. item l. 1. C. que sit longa consuet. cum §. 9. Inst. de l. N. G. §. C. Atque ista est sententia communis cum Schneidevvin in d. §. & Decian. in resp. 51. cit. n. 112. & in Camera Imperiali per plures decisiones confirmata. Gail l. 2. obs. 31. n. 8. Myns. cent. 6. obs. 41. n. 15.

## TITULUS V.

### De Postulatione Prælatorum.

#### DECISIO V.

De Postulatione concurrente cum electione ad Archiepiscopatum Coloniensem.

#### SPECIES FACTI.

Vacante per obitum Serenissimi & Reverendissimi Domini Domini Maximiliani Henrici, utriusque Bavariz Ducis &c. Archiepiscopatu & Electorali Principatu Colonienfi 19. die Julii anno 1688. ad eligendum no-

novum Archiepiscopum & Electorem congregati sunt Capitulares, jus suffragii habentes, omnino viginti tres, & unus per Procuratorem, qui pramissis pramittendis in diversas abierunt partes in ferendis calculis; nam unus ex his 24. suffragantibus elegit Serenissimum & Reverendissimum Antonium Ludovicum Ducem Neoburgicum, Ordinis Teutonici Magnum Magistrum, unus alius Reverendissimum & Illustrissimum D. Gobertum Comitem de Asprenont & Reckheim, Chori-Episcopum, sed horum duorum calculorum singularium, quia ad finem nihil faciunt, cura non est habita, nec nos habituri sumus: ex reliquis viginti duobus novem elegerunt Serenissimum & Reverendissimum Utriusque Bavariæ Ducem, ac Principem Josephum Clementem, Serenissimi Electoris Bavariæ Fratrem Germanum, reliqui autem tredecim postularunt Eminentissimum & Reverendissimum D. Guilielmum Egonem Landgravium de Fürstenberg, S. R. Ecclesiæ Cardinalem, ac Ecclesiæ Cathedralis Coloniensis Decanum. Collectis per tres Scrutatores suffragiis ordine, secretò, & ore tenus datis, & annotatis in scripto, publicatum est Scrutinium à Scrutatoribus in communi, disertè pronuntiantibus, quòd illorum, qui suffragia tulerunt, essent viginti quatuor, quorum & nomina sunt recitata; tum processum est ad collationem votorum, ea de numero ad nu-

merum, Zelo ad Zelum, merito ad meritum invicem collationando, ac simul in Capitulum regressi Scrutatores retulerunt, tredecim calculos in unam personam, novem in aliam, & duos in duas alias collimasse, requirendo, num DD. Capitularibus placeat, ut minora Vota accedant majoribus: super quo puncto, postquam aliquamdiu disceptatum esset, tandem per Majora conclusum fuit, quòd ita, protestantibus contra accessum hunc & contradicentibus, qui in personam eligendam conspirarunt, volentes ante omnia sibi exponi, quot vota in personam postulandam, & quot in eligendam, vel etiam in alias directam fuissent, quare responsum est, illum, qui postulatus fuisset, nactum esse tredecim vota, reliquorum autem, qui electi sunt, unum habere novem, & ex reliquis duobus singulos singula. Cùmque ulterius Scrutatores quæsisissent, an placeret de illo, in quem majora Postulantium vota sunt directam, postulationem communem fieri, solennitèrque promulgari, idque per majora etiam placuisset, D. Joannes Godefridus Becquerer Canonicus nomine suo & sibi coherentium, qui elegerunt, eidem per expressum contradixit, asserens, quòd in his circumstantiis electioni, non postulationi sit locus, adeoque communis & solennis electio, non postulatio, faciendam, vel, si postulatio sit publicanda, publicanda etiam sit electio, aut simpliciter totum Scrutinium. Sed hac

con-

contradictione non obstante Illustriss. D. Comes de Rittberg, primus ex Scrutatoribus, assererat, quòd non possit de duabus personis publicatio fieri, sed tantum de una, & quidem de illa, in quam plures calculi sunt directi; idcirco votis omnium Capitularium desuper denuo requisitis, per majora iterum decisum, quòd sic: quare idem D. Comes de Rittberg tam suo, quàm cæterorum Conscrutatorum, ac omnium illorum, qui postularunt, nomine postulavit in novum Archiepiscopum Cardinalem Fürstenbergium, eumque publicavit: contra quam postulationem & publicationem, qui in personam eligendam tulerunt novem suffragia, iterum iterumque protestati, petierunt similiter publicari electionem, vel saltem nominari personam, in cujus personam præacta novem vota collimarent: & hoc ultimum tandem, ut persona illa, novem votis electa, quæ fuit Serenissimus Dux Baviaræ Josephus Clemens, obtinuerunt. Postea requisitus Cardinalis Fürstenbergius dedit consensum in sui postulationem factam: econtra Serenissimus Dux Neoburgicus Ludovicus Antonius Or-

dinis Teutonici supremus Magister coram Capitulo declaravit, quòd eodem modo electionem pro Serenissimo Duce Baviaræ acceptaret, sub cautione de rato, & oblatione de exhibendo desuper mandato. Sed his non obstantibus Major Pars jussit per Seniores Canonicum, D. Henricum Mehring, licet fuerit ex parte *Eligentium*, Clero & populo denuntiari *Postulationem* Fürstenbergii, imò & Principibus ac Statibus Imperii, etiam congregatis in Comitibus Ratisbonæ, suscipiente interim statim administrationem Archiepiscopatus Fürstenbergio, Gallicis partibus apertè addicto. Quæ res Augustissimum Cæsarem Leopoldum, & Domum Bavaricam perægrè habuit; quare ad legitimum Judicem, Romanum Pontificem, recurrerunt, & statu rei exposito humiliter petierunt, ut secundum SS. Canones decerneret, an confirmanda sit *Electio* Serenissimi Ducis Josephi Clementis per novem, vel admittenda *Postulatio* Egonis de Fürstenberg Cardinalis per tredecim calculos facta. Nobis autem ex Jure Sacro relinquitur examinanda eadem

### QUÆSTIO.

*An in hoc casu standum sit pro Electione Principis Bavarici, vel pro postulatione Cardinalis Fürstenbergici?*

**A** Ntequam utriusque Partis fundamenta in medium adducamus, necesse omnino est præmittere discrimen inter Electionem & Postulationem. *Electio* est personæ idoneæ, seu nullo impedimento laborantis, per

E

per

per vota legitimorum Electorum Canonica vocatio ad Prælatum vacantem: *Postulatio* autem, nempe solennis, est petitio gratiæ, à Collegio ad Superiorem destinata, ut aliquem admittat ad Prælatum Ecclesiasticam, ad quam de Jure Communi eligi non potest propter aliquod impedimentum, vel defectum. Quamvis igitur utraque conveniat in multis, & ad eundem tendat finem, tanquam modus, quo per Capitularium suffragia providetur alicui Ecclesiæ de Prælato, in multis tamen quoque differt una ab altera; nam Electio est modus perveniendi ad Prælatum Ecclesiasticam ordinarius, supponit in eligendo absentiam, omnis impedimenti, innititur justitiæ, ita ut legitimè electus acquirat jus ad rem, & repelli nequeat, adeoque à Superiore est necessariò *confirmanda*: Postulatio verò est modus extraordinarius, supponit in postulando aliquod impedimentum vel defectum, dispensabile tamen, adeoque non tribuit jus absolutè, consequenter innititur gratiæ, nec necessariò est *admittenda* à Superiore, qui dispensare non tenetur, & dispensando admittere postulatum. In præfenti casu uterque promovendus debebat de Jure *postulari*, & neuter poterat *eligi*, quia uterque laborabat impedimentò Canonico, dispensabili à solo Pontifice, & quidem vinculo Matrimonii Spiritualis, quo jam aliis Ecclesiis velut *nexu alarum*, ut vocant, erat alligatus, & quidem Serenissimus Baviarum Dux Ecclesiæ Fri-

singenfi & Ratisbonensi, Eminentissimus verò Fürstenbergius Ecclesiæ Argentinensi: ille insuper nondum erat in Sacris Ordinibus constitutus, atque septendecim duntaxat annorum, quæ sunt impedimenta Juris ad Dignitatem Episcopalem, neque erat de gremio Ecclesiæ Archiepiscopalis Coloniensis, utpote ibi nec Canonicus, saltem Capitularis. Nihilominus tamen speciali industria ac providentia integro mense antè, quàm dies Electioni destinatus appropinquaret, impetravit à Summo Pontifice *Indultum eligibilitatis*, ut appellant, vi cuius ab universis impedimentis Canonicis à Sede Apostolica liberatus, & sic habilis effectus est, ut *eligi* posset, non modò in Archiepiscopum Coloniensem, sed etiam in Episcopum Hildesensem & Leodiensem. Cujusmodi favorem & gratiam sollicitavit quidem Landgravius quoque Fürstenbergicus Romæ propter vinculum & impedimentum Matrimonii spiritualis, quo alligabatur Ecclesiæ Argentinensi velut Episcopus, sed non impetravit, proinde adhuc manente nexu alarum & impedimentò Canonico *postulari* debuit, non *eligi* potuit, atque sic Eligendus concurrat cum Postulando, & Electio cum Postulatione.

Breve Pontificium, vi cuius Baviarum dux reddebatur eligibilis, erat hujus tenoris: Innocentius Papa XI. „Dilecte fili, Salutem & Apostolicam „Benedictionem. Singularibus Tuis „& Majorum tuorum in Nos & Apo-  
stoli-

„stolicam Sedem fidei & devotionis  
 „promeritis adducimur, ut Apostoli-  
 „ca Nostra benignitatis favore te li-  
 „bentissimè complectamur. Volen-  
 „tes itaque Te, qui ex Illustri Ducum  
 „Bavariæ prolapia, ex qua tot egre-  
 „gii Catholica fidei Defensores, ali-  
 „que Clarissimi Principes longa se-  
 „rie prodierunt, ortus, & dilecti  
 „filii, Nobilis viri Maximiliani Emma-  
 „nuelis, utriusque Bavariæ ducis, S.  
 „R. I. Principis Electoris, cujus præ-  
 „clara in Ecclesiam Dei, & univer-  
 „sam Christianam rempublicam meri-  
 „ta omnis humanæ laudis præconium  
 „jam longè supergressa sunt, Frater  
 „Germanus, ac in decimo septimo  
 „vel circiter Tuæ ætatis anno consti-  
 „tutus existis, quique Ratisbonensi &  
 „Frisingeni Ecclesiis ex concessione &  
 „dispensatione Apostolica, munere  
 „consecrationis nondum suscepto,  
 „præesse dignosceris, ac unum, & unam  
 „in Metropolitana Coloniensi, atque  
 „alterum & alteram Canonicatus, &  
 „Præbendas in Hildesimensi respectivè  
 „Ecclesiis unà cum iisdem Ratisbonensi  
 „& Frisingensi Ecclesiis ex indulto seu  
 „dispensatione Sedis prædictæ obtines  
 „--- motu proprio, & ex certa scien-  
 „tia, & matura deliberatione Nostris  
 „deque Apostolica potestatis plenitu-  
 „dine, Tecum, ut --- à dilectis filiis, Ca-  
 „pitulis & Canonicis earundem Me-  
 „tropolitana Coloniensis, Hildesim-  
 „ensis, & Leodiensis Ecclesiarum,  
 „ad quos respectivè occurrente ipsa-  
 „rum Ecclesiarum vacatione electio

„personarum idonearum --- spectat,  
 „licet nec in ætate legitima, nec in  
 „SS. Ordinibus constitutus, nec di-  
 „ctæ Ecclesiæ Leodiensis Canonicus  
 „aut de gremio Capituli existas, nec  
 „tam in illo, quàm in aliis metropo-  
 „litanæ Coloniensis, & Hildesimen-  
 „sis Ecclesiarum prædictarum Capi-  
 „tulis vocem activam & passivam  
 „habeas, neque alias debite juxta di-  
 „spositionem SS. Canonum --- respe-  
 „ctivè qualificatus sis, ac memoratis  
 „Ecclesiis Ratisbonensi & Frisingen-  
 „si præsis, nihilominus in Archiepi-  
 „scopum, & Episcopum respectivè  
 „ac Pastorem dictarum Ecclesiarum  
 „Metropolitana Coloniensis, Hilde-  
 „simensis, & Leodiensis, ac illarum  
 „cujuslibet, servatis aliàs servandis eligi,  
 „& sic electus electioni hujusmodi  
 „consensum præstare liberè, licitè, &  
 „validè possis & valeas &c. &c.  
 „Econtra Breve ad Cardinalem Für-  
 „stenbergicum sic sonuit: Innocen-  
 „tius Papa XI. Dilecte fili Noster,  
 „Salutem & Apostolicam Benedictio-  
 „nem. Sicut nihil aut gratius aut ju-  
 „cundius habemus oportunitatibus  
 „gratificandi tibi, declarandique in  
 „dies magis, quanti perspectas vir-  
 „tutes, ac merita tua faciamus, ita  
 „majorem in modum tristamur, ubi  
 „ea se propensa Nostræ erga te volun-  
 „tati objiciunt impedimenta, quæ mi-  
 „nimè patiuntur, Nos id præstare  
 „posse; hujusmodi autem molestiam  
 „profectò experimur in negotio,  
 „de quo occasione obitus bonæ me-  
 „moræ

„moriam Venerabilis Fratris Maximi-  
 „liani Henrici Archiepiscopi, dum  
 „viveret, Colonienfis, ad nos scripsi-  
 „sti; tam multas enim gravesque in  
 „se continet difficultates, quemad-  
 „modum à Nostro ad Rheni tractum  
 „Nuntio abundè cognosces, ut nul-  
 „lum Nobis relinquunt locum satis-

„faciendi votis tuis, de pietate verò  
 „ac sapientia tua adeò præclare senti-  
 „mus, ut deliberationi, quam hac in  
 „causa suscepimus, ultrò te acquie-  
 „tum esse planè confidamus. &c.

His pro informatione præmissis ac-  
 cedendum est ad rem, & primò qui-  
 dem ad

### Rationes dubitandi.

**P**Ars major Postulantium Ecclesiæ  
 Colonjensis Capitularium sic ar-  
 guit I. In Electione præfenti fuit ad-  
 hibita forma Scrutini, præscripta in c.  
 quia propter 42. de Elect. quæ ad sui  
 essentiam præter alia requirit, ut in  
 eligendum conspiret major, & sanior  
 pars, item ut post vota collecta, pu-  
 blicata, & collationata fiat communis  
 electio, eaque per unum clara voce in  
 continenti, & solenniter in Capitulo  
 publicetur per verbum singularis nu-  
 meri, dicendo: Ego N. vice mea &  
 vice ac nomine eorum, qui mecum con-  
 senserunt, Titum eligo in Archiepisco-  
 pum, in nomine Patris & Filii, & Spi-  
 ritus S. Amen. Text. & DD. in c. 42.  
 cit. ubi additur, aliter electio facta  
 non valeat, quæ clausula juxta com-  
 munem denotat, prædicta omnia es-  
 se necessaria ad substantiam Scrutini.  
 Concordat c. cum post petitam 45. c.  
 Cumana 50. c. in Genesi 55. x. &  
 c. Sicut eod. in 6. ibi: alioquin  
 à pluribus (nempe sigillatim per  
 data prius à singulis quæ talibus,  
 non quæ univèrsis, suffragia) facta

electio eo ipso viribus non subsistat. Vid.  
 præ cæteris Passerinus de Elect. c. 19.  
 q. 5. & q. 7. Atqui pro Serenissimo  
 Principe Josepho Clemente non ste-  
 tit major pars Capitularium suffragia  
 ferentium, ut est evidens, nec sanior,  
 quia ferè Juniores tantum ipsi  
 faverunt, nec pro eo facta est commu-  
 nis electio ab uno eorum post publi-  
 cata & collationata suffragia, v. g.  
 dicente, Ego N. meo, & eorum, qui  
 mecum consenserunt, nomine eligo Se-  
 renissimum Principem Josephum Clemen-  
 tem Bavariæ Ducem &c. sicut vice  
 versa per unum ex Postulantibus no-  
 mine suo & sibi consentientium no-  
 mine facta est communis & solennis  
 Postulatio: ergo Electio Serenissimi  
 Ducis Bavariæ irrita fuit & nulla,  
 consequenter non venit confirmanda;  
 cum confirmari non possit, quod in  
 rerum natura nunquam existit, &  
 confirmatio præsupponat præexisten-  
 tem actum confirmabilem. Imò,  
 cum eligentes non fecerint electio-  
 nem communem, & sic egerint con-  
 tra formam electionis in c. 42. cit.  
 præ-

præscriptam, ubi additur hæc clausula, qui contra prædictas formas (Scrutinii vel Compromissi) eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur, meruerunt jus eligendi amittere pro ista vice per sententiam Pontificis, consequenter nullo modo impetrare confirmationem electionis aliàs irritæ. Neque ipsis patrocina- tur, si fortè prætenderent, electio- nem communem fuisse omisfam ex ignorantia, oblivione, inadvertentia; quia decretum & clausula irritans, qualem habent Jura citata, etiam af- ficit ignorantés &c. & ignorantia Ju- ris manifesti non toleratur in his per- sonis. Cùm ergo Electio non sit confirmanda, Postulatio venit admit- tenda, utpote facta per majora & communiter solennitèrque publicata in Capitulo, aliisque requisitis non destituta. Unde

Arguit II. Si aliquid obstaret valo- ri Postulationis, obstaret concursus Electionis, quo casu videtur in c. Scri- ptum 40 de Elect. requiri, ut postulan- dus, qui concurrat cum eligendo, habeat duas tertias votorum, seu ut Postu- lantium numerus sit duplò major, quàm eligentium, adeoque ex 24. suffragantibus conspirent 16. in Postu- latione; e contra eligendo sufficiant suffragia, quæ unam tertiam superent, nempe 9. vota ex 24. ferentibus suffragia: Sed hoc non obstat, partim I. quia dictum c. 40. est correctum per c. 42. cit. ubi in Con- cilio Generali Lateranensi sub Innoc. III. uti & in aliis posterioribus abso-

lutè & generaliter in quavis electio- ne, vel postulatione, sive concurrant inter se sive non, dicuntur requiri & sufficere majora suffragia, scilicet ab- solutè majora, seu absoluta pluralitas votorum respectu omnium suffragan- tium, v. g. 13. ex 24. Partim II. quia Praxis in Germania pridem obtinuit, ut insuper habito d. c. 40. semper at- tenta sit, & juxta Concordata atten- di debuerit absoluta pluralitas voto- rum, non obstante, quòd Electio concurreret cum Postulatione, isque Prælatorem consecutus sit, in quem major pars sive Postulantium, sive Eligentium conspiraverit: sic, quan- do Joannes Marchio Badensis Anno 1456. adeoque aliquot annis post ini- ta Germaniæ Concordata, in Archie- piscopum Trevirensis à majori parte Capituli postulatus est, confestim in possessionem immisus & subsequen- ter à Pontifice confirmatus fuit, non obstante contradictione Dietherii ab Iffenburg, à minori parte Electi. Ky- riander in *Annalib. Trevirensi.* p. 15. pag. 206. vers. *Jacobo I.* Nec ullum exstat exemplum in contrarium. Par- tim III. quia id in Ecclesia Colonien- si, de qua modò lis, lege publica sancitum est Anno 1462. his verbis: *quando Capitulum concord ter, vel quan- do major pars Capituli Dominum elegit, si tunc aliquis, qualiscunque ille fuerit, intra, vel extra Capitulum, in tal: ele- ctione discordiam excitaret, & dissen- sionem in Patria causaret, ex tunc No- biles, & Ordo Equestris, Civitates, & universa Patria, Domino electo obedien- tiam*



tiam præstare debent, quilibet secundum conditionem sui status, & Dominum in Archiepiscopatu defendere, & hujus rei Dominus ipsis erit Caput. Qui textus Unionis, licet de Electione loquatur, tamen Postulationem quoque complectitur, cum Jura & Instrumenta antiqua inter Electionem & Postulationem non faciant differentiam; his enim vocabulis indifferenter utebantur antiqui teste Passerino de Elect. c. 14. n. 1. Partim IV. & principaliter, quia in sæpius allegato c. scriptum 40. non comprehenditur Jus commune, observandum in omnibus casibus similibus, sed specialis tantum provisio Innocentii III. ante indictionem Concilii Lateranensis præfati pro casu particulari, & quidem interveniente consensu utriusque partis, quo tam Postulantes quam Eligentes ad arbitrium Sanctissimi Postulationem æquè ac Electionem submitunt, quo consensu interveniente vult d. c. liberum esse Pontifici vel Electionem à minori parte factam confirmare, vel Postulationem majoris partis admittere; secus verò, si utraque pars suæ Electioni & Postulationi insistat, ac illa confirmationem Electionis, ista verò admissionem Postulationis, quasi de Jure debitam urgeat; hoc enim casu rejecta Electione minoris admittenda est Postulatio majoris Partis. Gloss. in d. c. 40. v. confirmes. Passerin. de Elect. c. 24. q. 15. n. 58. Laym. in qq. Canon. de Præl. Eccl. q. 7. Pinhing. ad Tit. de Postul. Præl. n. 18. §. Quòd si, ubi tamen addit, & Electionem & Postu-

lationem posse rejici, quia neutri, nec Postulato, nec Electo, quando fit talis submissio, acquisitum est jus. Engel eod. n. 6. v. Sentiant, favet ipse quoque textus cit. c. 40. ubi Papa suo Notario (quem modò Prothonotarium dicimus) mandavit, ut explorata veritate & circumstantiis, NB. Si Partes consenserint, procedat hoc modo: ut si constiterit de mutuo consensu se consensu --- Quòd si ad faciendum duplò majorem numerum simul omnes prædicti (Postulantes) minimè sufficerent, sive dignus, sive indignus fuerit postulatus, tu (Postulatione repulsa.) Electionem Plebani auctoritate nostra confirmes. Accedit denique V. quia non est credibile, quòd Pontifex voluerit uno quasi ictu per c. 40. cit. evertere reliquas Canonicas Ordinationes, maximè dispositionem Concilii Generalis in c. 42. sequente comprehensam, ubi generaliter standum esse dicitur majoribus votis in provisionibus ad Prælaturas Ecclesiasticas.

Arguit III. Non malè negaretur, quòd in præsentì negotio concurreret Postulatio cum Electione, eò quòd Summus Pontifex, postquam Cardinalis Fürstenbergius in Episcopum Argentinensem electus est, reliquerit ipsi Canonicatum & Decanatum Coloniensem, atque sic permiserit ipsum manere in gremio & Capitulo Coloniensi, consequenter illum voluerit esse eligibilem in hac Ecclesia, sicut priùs erat, præsertim cum ad Capitulum Coloniense ante institutam Electionem

ctionem rescripserit, hortatusque fuerit, ut in eum conveniant, quem praeclaris magnoque Praesule dignis dotibus insignitum, & magis NB. inter se ipsos idoneum agnoscerent. Ut autem veritatis speciem praesferant isthac argumenta, Juri tamen & auctoritati meliori innitur opposita sententia, cum qua

Dico. Electio Serenissimi Principis Bavari Josephi Clementis ad Archiepiscopatum Coloniaensem valuit, & rectè à Summo Pontifice confirmata est, Postulatio econtra Eminentissimi Cardinalis & Landgravii de Fürstenberg de Jure non substituit, & ideo admitti non debuit. Id quod evincunt sequentes

## Rationes decidendi.

PRima & principalis ex ipsis Sacri Juris visceribus desumpta rectè petitur ex c. Scriptum 40. de Elect. ubi habetur casus nostro simillimus, & decisio illius non umbra, sed clarissima fuit imago, & certa regula, secundum quam praesens causa decidi debuit. Fatis concesserat Patriarcha Constantinopolitanus (nam septem circiter annis antea, nempe anno 1204. Orientis Regina, Urbs Constantinopolis superbum aliàs & rebelle caput submiserat Summo Pontifici Innocentio III. gloriosissimo plurimorum Canonum Conditori) in cujus proinde Sedem aliud substituendum erat Caput, quod Ecclesiae Constantinopolitanae praesfet. Sed inter suffragantes, nempe Canonicos praesentes, & absentium constitutos Procuratores, aliòsque ad ferendum suffragium admissos ingens exorta est contentio: Pars quippe altera, sed minor, calculis omnino sedecim elegerat Plebanum S. Pauli de Venetiis, ut loquitur textus; Pars altera, quae diceba-

tur longè major, postulaverat Archiepiscopum Heracliensem, utpote impedimentò Matrimonii Spiritualis cum sua hac Ecclesia ligatum, adeoque impedimentò Canonico, propter quod eligi non poterat, sed postulari debebat. Et sic Electio tanquam modus Ordinarius concurrebat cum Postulatione tanquam modo extraordinario providendi, cui Jura minus favent, & quae innitur gratiae, qua dispensatur in impedimento, & postulatus admittitur gratiosè; cum econtra Electio innitur Juri, & si persona electa aliàs sit digna, eidem debeatur confirmatio. Ut dirimeretur haec lis, Partes litigantes ad legitimum Judicem, Romanum Pontificem Innocentium III. suos Procuratores ablegarunt Romam: is verò, quia de sibi relatis plena fides facta non est, noluit causam per se immediatè decidere, sed misso Constantinopolim Notario in mandatis dedit, ut omnibus prius bene exploratis, praesertim eligentium & postulantium nume-

numerò accuratè investigatò, controverfiam fic terminaret: *fi conftiterit - - quòd Postulantes NB. duplò majorem facerent numerum, quàm sexdecim Electores Plebani, tu vice noftra Postulationem admittas - - Quòd fi ad faciendum NB. duplò majorem numerum fimul omnes (Postulantes) minimè fufficerent, five dignus five indignus fuerit postulatus, tu (Postulatione repulfa) Electionem Plebani auctoritate noftra confirmes.* Ex quibus verbis luce clariùs apparet, Postulationem, nifi vota Postulantium fint duplò majora (feu duæ tertix, ut loquuntur) quàm Eligentium, non poffe admitti, fed Electionem, licèt pro ea ftent minora fuffragia, quàm pro Postulatione, modò superent unam tertiam fuffragiorum partem, ut illa fedecim superabant etiam adverfariis annuentibus, confirmari debere. Jam fubfumere licet; atqui in præfenti negotio Colonienfi Electio concurrebat cum Postulatione; nam Princeps Bavarus paulò antè impetraverat à Sede Apostolica Indultum Eligibilitatis, vi cujus omnia ejus impedimenta Canonica, quæ ipsum reddebant ineligibilem, fuerunt fublata, Cardinalis Fürftenbergius verò, licèt idem petiffet, tulit repulfam, & fic ineligibilis permanfit, ac postulari debuit. Neque postulantes Canonici effecerunt duplò majorem numerum, cum tredecim neque refpectu viginti quatuor fuffragantium faciant duas tertias, neque refpectu Electi, qui pro fe tulit novem calculos, & fic plures,

quàm tertiam vota ferentium partem; conftituant duplò majorem numerum vel duas tertias, ut omnino evidens est Arithmeticam vel obiter intelligenti, & numerare fcienti: ergo Postulatione Fürftenbergii repulfa debuit fecundùm Jura Sacra confirmari Electio Principis Bavarii.

Altera ratio fundatur in communi fenfu & auctoritate Doctorum, qui cum antiquis, Panormit. Hoftiens. Joan. Andr. Anchor. Sylv. Anton. de Butr. Imola, Bald. Card. Zabarella; cum Scriptoribus mediæ ætatis, ut Vivian. Honor. ab Axel, Azor, Gregor. Tholofan. Auguft. Barb. Henr. Canif. item cum Recentioribus, ut Corvino, Palao, Vallens. Zæf. Gonzalez, Lotterio, Joan. Honorio, Laym. Pirh, Wangnereck, Streinio, Engel, Wiefner &c. unanimi ore pronuntiant pro Electione, quando concurrit cum Postulatione, & hæc duplò majorem Postulantium, quàm fit Eligentium, non obtinet numerum. Diffentit ferè fola Gloffa in c. 40. cit. quam tamen ipfe Gloffator in c. bona memoria de Postulat. verb. in tanta divifione reprobatur his verbis: *ad hoc, ut Postulatio præjudicet Electioni, requiritur, ut numerus Postulantium fit duplò major quàm Eligentium, quid quid poftea fubjungat fibi non fatis constans.* Idem afferit gloffa ad Inffit. Lancellotti Tit. de Confirm. Elect. §. *Et fi vacante V. duplò major.* exemplificando cafum, quo præferenda fit Postulatio, fi nimirum ex 30. Canonicis 20. postulent, & 10. eligant; alioquin

alioquin si Postulantium numerus non sit duplò major, quàm numerus Electio est confirmanda, etsi facta non sit à majore Capituli parte, prout aliàs c. quia propter de Elect. ad validitatem Electionis requiritur.

Tertia sumitur ex constanti Curia Romanæ praxi, de qua passim testantur Auctores; quamvis enim Papa, si vellet, posset admittere Postulationem non à duplò majore parte celebratam, nunquam tamen id facere solet, ubi concurrat Electio. Lotterius, rerum ac Styli Curia Romanæ peritissimus, de Re Benef. c. 3. q. 17. n. 247. seqq. Cujus rei ratio est tum c. Scriptum 40. cit. tum quia Postulatio innititur gratiæ aded, ut, licet unanimiter esset facta ab omnibus Suffragatoribus, jus nullum acquiratur Postulato, & ite repelli possit. c. bonæ memoria 3. de Postul. Nec ante admittam Postulationem se ingerere valeat administrationi sine privationis omnium commodi &c. periculo. c. bonæ 23. de Elect. c. avaritiæ. s. eod. in 6.

Quarta, & omnis dubii præsentis omnino sublativa, & efficacissima est ipsa summi Pontificis, SS. Canonum Custodis, & legitimi Judicis supremi, à quo nulla datur appellatio, Innocentii XI. decisio; is enim auditis diligenter partibus, & causâ accuratè

discussâ, sententiam irrevocabilem, & executioni datam, justissimè tulit & prudentissimè pro Serenissimo Duce Boico, Josepho Clemente, cujus Electionem repulsa Postulatione maturò consiliò habitò confirmavit. Illius Breve sic habet: *Sacra Congregatio rebus Consistorialibus præposita, examinato authenticò Instrumentò à Canonicis, & Capitulo Ecclesie Metropolitanae Coloniensis traditò per Syndicum suum Archiepiscopo Damasceno, Apostolico ad Rheni tractum nuntio, in quo à 13. ex 24. Capitularibus Eminentiss. ac Reverendiss. Card. de Fürstenberg Episcopum Argentinensem, Postulatum; & à 9. ex iisdem Capitularibus Sereniss. ac Reverendiss. Josephum Clementem ex Bavaria Ducibus, ac Episcopum Ratisbonensem, & Frisingensem, vigore Apostolici indulti Eligibilitatis, illi præviè concessi, Electum fuisse constat; Omnibus maturè, ac diligentissimè expensis, unanimis Patrum sententia censuit, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, præfata Postulatione de persona ejusdem Cardinalis repulsâ, confirmandam esse Electionem de persona ejusdem Josephi cum clausula supplente &c. quatenus opus sit. Et facta relatione Sanctitas sua Sacra Congregationis sententiam benignè probavit. Datum Roma, die 15. Sept. 1688. Jam*

### Expediuntur Rationes dubitandi.

AD I. Dico, quamvis pro Cardinali Fürstenbergio steterit Postulantium major pars (utrum sanior, non liquet, & in dubio, ac nisi constet.)

stulantium major pars (utrum sanior, non liquet, & in dubio, ac nisi constet.)

F

stet, partem minorem esse corruptam, vel elegisse indignum, ut hinc non constat post obtentam dispensationem in impedimentis Serenissimi Josephi Clementis, & indultum eligibilitatis, pars minor praesumitur aequè sana, ut observatur in praxi, & desumitur ex *c. 17. de Elect.* Certè ratione senii Postulantium nihil videtur opponi posse parti Eligentium; cum Illustrissimi DD. Comites de Hohenzolleren, & duo de Manderfcheid, qui fuerunt ex parte Postulantium, omnes tres simul sumpti vix annos unius ex Eligentibus, nempe Reverendissimi D. Antonii Wormbs attigerint; taceo alia, quæ Postulantibus possent objici, cum hæc materia sit nimis invisa) Quamvis, inquam, major pars Postulantium, & totius Capituli, steterit pro Fürstenbergio, minor tamen fuit, ut sufficeret ad præhabendum Electo Postulatum; & quamvis Eligentium respectu totius Capituli fuerit minor, tamen in effectu, & juxta *c. scriptum 40. eodem*, fuit sufficiens ad præferendum Postulato Electum, atque sic effectivè evasit major, cui nimirum Jus in concursu Electionis cum Postulatione assistit, pro nihilo habens Postulationem in tali casu, pro qua minor, quam dux tertie conficiunt, stat numerus. Quapropter pars illa, quæ stetit pro Eligendo in hoc casu, quo concurrat Electio cum Postulatione, aliàs major fictione Juris transmigravit in minorem. Quod exaggeratur ex omiſſa electione communi Principis Bavari, non fuit culpa Eligentium, qui sæpe ac instanter urserunt & petierunt, ut

fieret, at incassum, sed fuit culpa primi Scrutatoris, ad quem pertinisset omiſſa Postulatione communi, utpote secundum SS. Canones innixâ Postulationi secreta irrita, facere communem & solennem electionem innixam secreta Electioni de jure valida Serenissimi Clementis: quo casu si non faciat electionem communem, ad quem pertineret, propter hujus omiſſionem electio non irritatur, ut docet, quo solo serè niti solent adversarii, Passerinus *c. 19. q. 5. n. 31. 32.* cum aliis multis, sed implorari potest Officium Superioris, id est Summi Pontificis, ut talem Scrutatorem male consultum, ac injustè renisum, ad faciendam communi eligentium nomine electionem compellat, nisi tamen S. Pontifex hunc defectum sanare per se velit, uti in præſenti fecit negotio. Deinde communis electio videtur in *c. quia propter 42.* tantum requiri pro casu, quo quis à majori parte Capituli fuit electus, quod hic non contigit. Quando Passerinus *c. 31. q. 2. n. 9.* exigit fieri electionem communem etiam tunc, quando quis est electus à minori parte Capituli, loquitur de casu longè alio, quam sit noster, nempe quo major pars processit ad communem electionem indigni, & sic pro illa vice excidit jure eligendi, totumque jus eligendi remansit penes alteram partem minorem. Ad *2. C. Maj. N. Min.* Ad ejus probationem *1.* negatur & pernegatur, *c. 40. cit.* esse correctum à *c. 42.* subsequente, quia non sunt contraria inter se, sed loquuntur de diversissi-

versissimis casibus, prius quidem de Electione concurrente cum Postulatione, quæ posterior, utpote de persona, quæ laborat impedimentò Canonico, non ita favorabilis est, ac Electio, nec parit jus ullum: posterius autem de Electione pura simplici concordati, non mixta & concurrente cum Postulatione, seu loquitur de casu, quo uterque promovendus est eligibilis: atque sic Jura concordant Juribus, atque evitatur Correctio, quæ evitari debet, ubi potest. *l. non est novum 26. ff. de Legib. l. un. C. de inofficiosis dotib. §. c. 29. de Elect. in 6.* Nec intelligitur prior lex mutata per novam, nisi expressè & nominatim illud significetur. Dein in *c. 40.* habetur casus specialis, in *c. 42.* autem generalis dispositio: per genus autem non derogatur speciei; sed per speciem generi. *c. 34. de R. l. in 6. Abb. Consil. 94. in quest. l. 2. Imola Cons. 139. §. 140. Barbos. de axiomat. Juris axiom. 107.* Ad probationem 2. Præsentia Germaniæ praxis, Juri & Curia Romanæ contraria, tamdiu negatur, quamdiu non melius & concludenter probatur. Unicus actus, de Marchione Badensi allatus, non facit praxim Juri derogatoriam; sed est una hirundo, quæ ver non facit. Imò hic ipse actus redditur valde suspectus ex eo, quòd non exprimitur, an illa major pars non constituerit duplò majorem Postulantium numerum, quam fuerit Eligentium; & sic nihil faceret pro vel contra præsentem casum; item ex eo,

quòd Postulatus dicatur fuisse confirmatus, quòd repugnat naturæ Postulationis, quæ non confirmari, sed admitti dicitur. Accedit, quòd Pontifex potuerit ex speciali gratia admittere postulatum à majori parte; quæ autem alicui ex speciali gratia conceduntur, ab aliis non sunt trahenda in consequentiam. Exempla in contrarium non desunt, cum plerique DD. testentur, Romæ constanter solere confirmari Electionem repulsa Postulatione, si pro hac non stet duplò major votorum numerus. Ad probationem 3. Illud statutum Colonien- se & textus nec verbulo indicat quidquam de concursu Electionis & Postulationis, sed præcisè loquitur de Electione facta à majori parte Capituli, quam & nos, si pura sit & simplex, cum Jure Communi admittimus valere: imò etiam Postulationem majoris simpliciter partis, si ea non concurrat cum Electione, sed vel concors sit omnium de eadem persona, vel concurrat cum Postulatione de alia persona: nequiquam verò, si Electio sit mixta, seu concurrens cum Postulatione, de quo casu Statutum nec verbulum habet. Ad probationem 4. In *c. 40.* licèt ibi fuerit decisis casus particularis, hoc ipso tamen, quòd illa decretalis epistola Innocentii III. fuerit reposita in Corpore Juris Communis, non tantum provisio specialis pro illo casu particulari, sed Jus Commune, in omnibus similibus occurrentiis observandum, continetur, uti est communis,

& constans Doctorum assertio, ac innumeris instantiis probari posset; cum libri Decretalium, qui utique constituunt Jus Commune, ferè nihil aliud contineant, quam decisiones particularium controversiarum per Pontificum decretales Epistolas. Quod additur de partium consensu, ac si tantum tunc, quando Partes, scilicet tam Eligentes quam Electionem, quam Postulantes suam Postulationem, ad arbitrium Sanctissimi ita submitunt, ut is pro suæ voluntatis arbitrio vel confirmet Electionem à minori, vel admittat Postulationem à majori parte Capituli celebratam, caret fundamento, eique omnes DD. contra Glossam reclamant: nec ille sensus eruitur ex textu *d. c. 40.* nam illa verba, *si partes consenserint*, & alia, *si consiterit de mutuo consensu convenisse*, referuntur & spectant ad septem Præpositorum, qui non erant de gremio Canonicorum, admissionem ad jus suffragii, adeo ut sensus sit, *si partes consenserint, ut secum eligant novum Patriarcham Constantinopolitanum septem illi Præpositi.* Idque patebit textum accuratè legenti, & clarè ostendit Lotter. *lo. cit.* Anton. de Butrio, & alii DD. Glossa, quæ ferè sola favet Adversariis, non modò habet aliam glossam sibi adversantem, uti suprà notavimus, sed etiam pridem antiquata omnem vim amisit ex eo, quòd adversetur textui, & communissimè ab omnibus ferè Auctoribus reprobetur, ut pridem ex Antiquis advertit Ponormit. & ex Recentioribus Gonzalez: nihil autem

auctoritatis habet Glossa, quæ est unius Auctoris opinio, quando vel textum Juris habemus contrarium, vel communis Authorum sensus eam rejicit, confutat, & expugnat, ut cum Zafio observat Sapientissimus Gallus *l. 1. observ. 153. n. 8.* Minus auctoritatis habet unicus Passerin. si tamen Glossa & Adversariis perfectè faveat, quod negatur, quia intelligi potest de casu, quo Postulatio concurret cum Postulatione, non cum Electione, Layman, quem pro se allegarunt Adversarii, in *cit. q.* vel potius *Cap. 7.* in nullo ipsis favet; apertè autem adversatur ad *d. c. 40. not. 4.* ubi ait, in casu Postulationis, duabus tertias destitutæ, quando concurret cum Electione, nomen ac jus Capituli in solis Eligentibus pro ea vice conservari: ergo Electio tantum, & non Postulatio attenditur. P. Pirhing & Engel (uti & Laym. *c. 7. cit.* ac Passerin. ipse *d. c. 24. q. 15. n. 61. seqq.* quem ferè solum jactare possunt & solent Adversarii) plus non volunt, quam quòd in Pontificis arbitrio sit, in casu, quo utraque Pars, Postulantium & Eligentium, eidem Electionem minori, & Postulationem majori numero, non tamen duas tertias adæquante, factam præsentat ea intentione, ut vel illam confirmet, vel istam admittat, prout voluerit (quod tamen in præsentem non factum esse videtur, sed potius qualibet Pars Jure egisse) vel confirmare Electionem, vel admittere Postulationem: item quòd sine confirmatione Pontificis accedente non acquiratur Electio jus plene

plenè questum, quod ultrofatemur, & nihil est contra nos, qui tantum contendimus, quòd spectato Jure *c. 40. cit.* & praxi Curie Romanæ, potius confirmanda sit Electio minoris partis, quàm admittenda Postulatio majoris, si Partes non permiserunt arbitrio Pontificis libero: quidquid sit, an Pontifex utramque, tam Electionem quàm Postulationem, tali casu rejicere possit, ut fortassis aliqui pauci sentiunt; hic confirmavit Electionem. Ad probationem  $\zeta$ . Falsò supponitur, quòd per *d. c. 40.* dispositionem evertantur ordinationes Canonicae aliorum *cc.* præsertim *c. 42. cit.* quia sibi non adversantur, sed optimè concordant, cum disponant de diversis factis, primum de concursu Electionis & Postulationis, reliqua non de isto concursu, uti ostensum est.

Ad 3. Per hoc, quòd Sedes Apostolica cum Fürstenbergio, cum ad Ecclesiam Argentinensem ut Episcopus fuit promotus, dispensaverit, ut possit retinere Dignitates, & Beneficia, priùs habita, uti & Decanatum Ecclesie Metropolitanæ Coloniensis, quæ aliàs vacassent ipso Jure cum reservatione ad Curiam Romanam, nullatenus cum ipso dispensavit in impedimento vinculi Matrimonialis, vi cujus per Episcopatum Argentinensem eidem ligatæ fuerunt alæ ad evolandum per viam Electionis ad alium Episcopatum, consequenter relicto Decanatu in Ecclesia Coloniensi non fuit ipsi relicta eligibilitas passiva, quæ priùs fortè gaudebat. Dispensatio enim in uno non extenditur ad aliud, præsertim

diversæ rationis, & in quo non ita facile solet dispensari, sicut in alio; cum dispensatio sit strictæ interpretationis; & ubi duo sunt impedimenta, sublato uno non tollatur hoc ipso alterum. per *c. Pastoralis 19. de Privil. c. ex tuarum. 5. de auct. & usu Pallii. Gonzal. in Reg. Cancellar. 8. gloss. 13. in pr. n. 92. 93. Chockier ad eandem Regulam gloss. 11. n. 35.* Proinde tot requiruntur dispensationes, quot sunt obstacula. *Gonzal. lo. cit. n. 97.* nec data ad unum producenda ad aliud, etsi subesset eadem, vel major etiam ratio. *Lotter. de re benef. l. 1. g. 40. n. 171. seq.* Rem omnem clarissimè & penitus conficit Breve Apostolicum, superius recitatum, in quo Pontifex Cardinali Fürstenbergico pro dispensatione in vinculo Argentinensi, & pro Indulto Eligibilitatis sollicitanti apertam dedit repulsam: ergo non sustulit hoc impedimentum, nec voluit Cardinalem esse Eligibilem, sed tantum Postulabilem. Quod jactitabant Adversarii de majori dignitate Fürstenbergii præ Serenissimo Duce Bavaro, multa possent opponi, præsertim pro circumstantiis illius temporis: id solum sufficiat dicere, quòd regulariter præsumatur dignior, qui eligitur, quàm qui postulatur; cum iste notoriò labore impedimentò. de Butrio in *c. scriptum 40. cit. n. 37.* & quòd non tantum Cæsar & Imperium, sed etiam Papa habuerit pro digniore Serenissimum Ducem; id quod inde patet, quòd hunc Papa voluerit reddere eligibilem, non verò Cardinalem, & Cæsar hunc peculiariter commendaverit.